

jus nemo curam gereret, & quem talem vidisset, tanquam magnum aliquod lucrum assecutus, eum lubenter videbat; cumque eum libenter lavisset, & induisset, & alia justa pro more ei fecisset; deinde etiam mortuum tanquam vivum alloquebatur: agendum, dicens, sis quoque particeps nobiscum ejus, quæ est in Christo, charitatis. Quæ cum diceret, habebat aliquando eum, qui jacebat, audientem; surgebat enim, ò miraculum, quod verbis non potest explicari! & bonum amplectebatur Martianum — deinde sic mortuus, rursus erat mortuus.

JURIS ECCLESIASTICI
D. VAN-ESPEN

PARS IV.

DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

TIT. I.

De Jurisdictione Ecclesiastica.

CAPUT I.

De Causis Civilibus.

1 **A**postolus advertens, inordinatum modum litigandi, & disceptandi super rebus temporalibus inter Fideles Corinthios (a) irrepere, eos arguit, quod quæstiones inter ipsos exortas ad profana infidelium tribunalia deferrent. *Audet*, inquit, *aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, & non apud Sanctos?*

2 Recte monet Estius, quod hic Apostoli sermo dirigatur ad Actorem, & non ad reum: huic enim, si vocaretur, non erat integrum declinare Judicem ethnicum, modo competentem. Erat ergo, prout Estius pergit, Corinthiorum (b) peccatum in eo, quod, cum possent causam agere apud Fideles saltem ut delectos arbitros, mallent apud infideles Judices experiri non sine Ethnicorum scandalo, & christiane Religionis injuria; nam eo vitia Christianorum detegebantur apud infideles &c.

3 Ut hujus recursus ad Judicia infidelium indignitatem evincat, & ostendat Apostolus, adjungit: *An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus indigni estis, qui de minimis judicatis. Nescitis, quoniam Angelos judicabimus, quanto magis secularia?* Innuit
his

(a) 1. Cor. cap. 6. (b) Est. Comment. in 1. Cor. cap. 6.

his Apostolus, si fideles forent aliquando iudicaturi totum mundum, ipsomet etiam Angelos, creaturarum præstantissimos, quanto magis digni jam essent habendi, ut de rebus minimis, nimirum terrenis, quæ ad usum vitæ præsentis spectarent, iudicium ferrent.

4 Post hæc concludit Apostolus: *Sæcularia ergo iudicia si habueritis contemptibiles, qui sunt in Ecclesia illos constituite ad iudicandum.* Intelligit Apostolus per contemptibiles, qui inter ipsos fideles sive in Ecclesia minimi habentur: eos tamen non vult absolute, & simpliciter terminandis sæcularibus iudiciis esse præficiendos, sed duntaxat comparative ad infideles: unde S. Apostolus statim subiungit, quod id de *contemptibilibus* tantum ad *verecundiam* utpote fidelium, dixisset. Tandem quibus suas lites circa temporalia dijudicandas committant, declarat his verbis. *Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum?*

5 Vult ergo Apostolus, ut fideles quæstiones inter ipsos excitatas non in forensibus tribunalibus apud infideles agitent, sed eligant sibi ex suis aliquem sapientem, utpote veræ prudentiæ, & christianæ sapientiæ gratia in Ecclesia honoratum, cui quæstionum suarum decisionem committant.

Cap. 2.
De Causis
civil. laic.

6 Juxta hoc Apostoli consilium, & sensum sanctissimi Episcopi, cum ipsorum auctoritas esset præcipua in Ecclesia, & fideles in ipsis tanquam suis Patribus spiritualibus magis confiderent, jam dudum iudicantur sui muneris esse, causas, & quæstiones fidelium, etiam de rebus terrenis, audire, & dirimere, ipsosque ad concordiam revocare, simulque sua auctoritate paterna eos edocere, quantum præ bonis temporalibus, pro quibus tantopere disputarent, amanda sint cœlestia. Refert Possidius (a), S. Augustinum, passim *interpelatum à Christianis, & à cujuscunque sectæ hominibus, eorum causas audivisse diligenter, ac pie, & ut eas, veluti arbiter dirimeret, aliquando tota die jejunum perdurasse.* His addit, quam sancta intentione, genus illud occupationis, alioquin ipsi molestissimæ, susceperit; idque secundum Apostoli sententiam dicentis: *Audet quisquam vestrum &c.*

7 Quum illa pia arbitraria Sanctorum Patrum tanta integritate, charitate, & æquitate, qua animi per contemptum temporalium jacturarum, & desiderium æternorum præmiorum ad ultroneam concordiam disponebantur, elucerent, Principes, christiana religione suscepta, ea auctoritate il-

(a) Possid. in vit. S. August.

lustrarunt. Refert Sozomenus de Constantino M. (a) *Litigantibus permisit, ut ad iudicium Episcoporum provocarent, si Magistratus civiles rejicere vellent: eorum autem sententia rata esset, aliorumque iudicium sententiis prævaleret, perinde, ac si ab Imperatore ipso data fuisset: atque res ab Episcopo iudicatas Rectores Provinciarum, eorumque Officiales executioni mandarent.*

8 Hoc genus privilegii spectabat auctoritatem sententiæ ecclesiasticæ in via simplicis arbitrii. Edixit Arcadius, si qui *“ex consensu”* apud sacræ legis Antistitem litigare voluerint, non vetabunt, sed experientur illius in civili duntaxat negotio, *“more arbitrii”* sponte residentis iudicium &c. Refert. L. 7. & 8. C. de Episc. audient.

9 Inde hæc via simplicis arbitrii ecclesiastici haud præiudicio fuit auctoritati civilium tribunalium. Represserat Valentinianus III. (b) eos, qui ecclesiasticis sententiis forenses jurisdictionem arrogarunt. Ait Imperator: *Præeunte vinculo compromissi coram Episcopo causas suas pecuniarias, si volunt, agant. Aliter eos Episcopos iudices esse non patimur, nisi voluntas iurgantium interposita, sicut dictum est, conditione procedat. Si ambo ejusdem officii Litigatores nolint, vel alteruter, utpote jure stricto experturis, agant coram civilibus iudicibus publicis legibus, & jure communi.*

10 Habetur lex olim Constantino M. attributa, eam tamen sub nomine Theodosii editam innovavit, & confirmavit Carolus M. ubi præcipitur, ut *quicumque litem habens, sive Possessor, sive Petitor fuerit, vel in initio litis, vel in decursis temporum curriculum, sive cum negotium prorogatur, sive cum jam cæperit promi civilis iudicis sententia, iudicium elegerit sacrosanctæ Sedis Antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad Episcoporum iudicium cum sermone litigantium dirigatur.* Refert. c. 35. & 37. XI. q. 1.

11 His auctoritatibus fretus Innocentius III. tribunali ecclesiastico aliquando & causam belli inter Joannem Regem Angliæ, & Philippum Regem Galliæ arrogasse videbatur. c. 13. de iudic. Viri quidem eruditi rejiciunt illam Constantini legem, tanquam supposititiam, eam tamen jam pridem in Capitularibus Regum Francorum probatam, quasi adoptatam esse lib. 6. cap. 366. editionis Baluzianæ constat, ubi citatur non quidem sub nomine Constantini, sed Theodosii. Refertur quoque ab Ivone in suo Decreto part. 16. *Epist. Van-Espen. T. II.* Kk

(a) Sozom. lib. 1. Hist. c. 9. (b) Valentin. Nov. 12.

cap. 312. & à Gratiano c. 35. & 36. XI. q. 1. Cui tanquam à Theodosio editæ, & à Carolo M. innovatæ inhæsit etiam Innocentius III.

12 S. Leo quoque Rustico Narbonensi respondit: *Si pœnitens habeat causam, quam forte negligere non debeat, melius expetit ecclesiasticum, quam forense Judicium.*

13 Tota ergo Episcoporum jurisdictio, & auctoritas ecclesiastica in causis civilibus laicorum ad concordiam, pacemque, inter litigantes conciliandam, miserosque homines è litium, & actionum laqueis, ac tricis eripiendos veteri jure tendebat, ut proinde mirum non sit, si laicis daretur libertas, passim ad Episcopos, veluti communes Parentes, & pacificatores recurrendi.

14 Enimvero inde Concilium Triburiense & Ludovicum Regem Germaniæ monuit, consultius esse Reipublicæ, ut & ipsi Judices publici auspicio tentarent viam concordiam inter litigantes restituendæ, antequam eos ad ordinem processus forensis admitterent. *Constituite, inquit, Comites, & Ministros Reipublicæ, qui placita non pro acquisitione lucri teneant, sed ut causæ Dei, & viduæ, ac pupilli, & populus justitiam, per viam arbitrii, aut compositionis, habeant, & plus litigantes ad concordiam salva justitia revocare studeant, quam committere, ut ipsi inde aliquod lucrum ex sportulis, & taxis judicii possint habere. Quos si pacificare non potuerint, tunc justum judicium per ordinem forensis processus decerni faciunt.*

15 Novo jure proprium tribunal Ecclesiæ forensi processu instruere placuit, quod prorogari & in causas civiles laicorum cœpit diversis obtentibus: utpote, quod causæ intervenisset vel juramentum, vel Notarius Apostolicus, ecclesiasticusque subscrisisset, vel negotium spectaret pupillum, viduamque, vel injuria recidisset in Clericum &c. Sic passim Judices ecclesiastici omnes contractus, omnes causas matrimoniales, omnes dispensationes testamentarias, & reliquas forenses lites suæ jurisdictioni arrogare poterant. En exempla. c. 8. de for. com. & c. 3. ibi in 6. & alibi passim.

16 Causa peccati præ reliquis latius patebat, quia difficile haud est, eo obtentu omnes plane causas Ecclesiæ tribunali vindicare, cum nullæ fere causæ sint, in quibus prætendi nequeat peccatum injustitiæ, vel injuriæ intervenire. Adeo extensa in decidendis causis civilibus, etiam laicorum, potestas Episcoporum mansit per undecim, & amplius sæcula, eamque Principes suis legibus promoverunt, & stabilierunt.

Cir-

17 Circa sæculum decimum tertium, hæc pacifica Ecclesiæ possessio turbari, ac paulatim diminui, ac tandem pene ad nihilum redigi, præsertim quoad causas civiles laicorum, cœpit. Refert Matthæus Paris (a), quod ann. 1246. plures Barones Franciæ inter se convenerint, & mutua fide se obstrinxerint, jurisdictionem sæcularem, quæ tota pene diversis obtentibus absorpta erat, à Clericis revindicare. *Nos omnes Regni Majores, ajunt, attento animo percipientes, quod regnum non per jus scriptum novarum Decretalium, nec per Clericorum arrogantiam, sed per sudores bellicos fuerit acquisitum, præsentî Decreto omnium juramento statuimus, & sancimus, ut nullus Clericus, vel laicus alium de cetero trahat in causam coram ordinario Judice, vel delegato ecclesiastico, nisi super hæresi, matrimonio, vel usuris — ut sic jurisdictio nostra Judicum civilium in reliquis causis profanis resuscitata respiret, & ipsi hactenus ex nostra depauperatione per sportulas, & taxas forensis jurisdictionis ditati, reducantur ad statum primitivæ Ecclesiæ.*

18 His consiliis Judicum civilium valde ingemuit Clerus: *Hæc, inquit, cum inauditisset, ingemuit Papa spiritu perturbato: & cupiens eorum corda emollire, & constantiam enervare, admonitione præmissa eos nimis perterruit, nec se sic sensit prævalere.*

19 Prævalente progressu, & successu Judicum civilium, inde querebatur Guilielmus Durandus (b): *Quasi per quandam alluvionem, frustatim Domini temporales ad se omnia trahunt. Et, sicut frustatim lupo agnam comedit, ita & per ipsos jurisdictio ecclesiastica frustatim devoratur: quidquid ad jurisdictionem ecclesiasticam, potissimum quoad temporalia pertinet, sibi competere putantes, & pauci sunt casus ad Ecclesiam pertinentes, in quibus directe, vel indirecte per eos ecclesiastica jurisdictio non turberet in diversis mundi partibus. Nec jam constituta remedia proficere possunt, sicut experientia docet.*

20 Inde à sæculo XIV. exolevit illa reverentia judiciorum ecclesiasticorum antiqua, cum in his tribunalibus, prout formularum solemnities invaluerunt, bona fides vacillavit. Judicia illa olim amica, quibus duce charitate verum, justumque exigebatur, & concordia partium, præcis dissidiorum radicibus, quærebatur, degenerarunt in tribunalia, in quibus strictum jus regnabat, & omnes subtilioris artis apices captabantur, quibus litigantium animi pascabantur, potius

Kk 2

quam

(a) Matth. Paris. ad ann. 1246.

Guil. Durand. de mod. Con. gen. Rubr. 70.

quam sedabantur, quia nemo quidquam de suo remittere consueverat. Presbyteri, & Clerici, qui ad causas perorandas provolabant, charitatem, & sanctimoniam procul habere. Hinc Principes magnam partem earum causarum, quam Ecclesie concesserant, revocarunt, & privati homines, quia necessario ubique litigandum erat, æque lubenter Judicem laicum adeunt.

21 In Gallia cœptum est ab actionibus realibus. Carolus V. Rex, ann. 1371. sub gravibus pœnis inhibuit Archiepiscopo Senonensi, ejusque Suffraganeis, ut de quibuscunque actionibus realibus, vel in rem scriptis posthac cognitionem sibi arrogarent. Huic legi successit lapsu temporis constitutio Francisci I. quæ & quascunque actiones personales laicorum à tribunali ecclesiastico avocavit. Edixit ann. 1539. Rex: *Notum facimus, quod prohibuerimus, & prohibeamus quibuscunque subditis nostris, ne curent citari, aut in jus vocari laicos coram Judicibus ecclesiasticis pro causis mere personalibus, indicta pœna amittendæ causæ, & mulctæ arbitrariæ.*

22 In Belgio ann. 1522. Carolus V. Imp. edictum proposuit, ut nemo, quisunque sit, in hac nostra Provincia Flandriæ imposterum præsumat laicos ullos, aut personas seculares (cujuscunque gradus, aut conditionis extiterint) citare, aut citari jubere, in jus vocare, vexare, aut alius ullo modo incommodum iis facessere ob causas, & actiones reales, personales, mixtas, profanas, & civiles alibi, quam coram ipsorum Judicibus, & justitiis secularibus, quibus competet, sexaginta librarum parisiis, viginti grossorum monete nostræ Flandriæ in libram, pœna indicta toties, quoties id fecisse deprehendentur.

23 Ann. 1541. erigebantur inter Episcopum Leodiensem, & Carolum V. (a) concordata, vi quorum laici pene in omnibus causis privative Judici seculari subjiuntur, declaraturque, quod nec hujusmodi causis Judices ecclesiastici se possint immiscere. Solæ fere causæ testamentariæ, & dotales, sive ex contractibus antenuptialibus resultantes, & de bonis amortizatis excipiuntur, idque cum variis limitationibus. Refertur quoque confirmatio concordati inter Archiepiscopum Cameracensem, & Consiliarios Hannoniæ, in quo inter cætera statuitur art. 21. *Cavebunt in posterum Ecclesiastici, ne citent, aut citari jubeant incolas Hannoniæ ratione pecuniæ ex contractu, emptione, aliisque talibus mere civilibus debitis.*

Ex

(a) Edict. Brabant. p. 1. l. 1. t. 1. c. 2.

24 Ex his facile cognosci potest, ad quam angustos limites hodie restricta sit auctoritas, vel jurisdictio Judicum ecclesiasticorum in causis civilibus, & profanis laicorum: cœpit autem ejusmodi diminutio jurisdictionis ecclesiasticæ, cum immutaretur forma, & modus exercendi. judicia ecclesiastica, & in his non amplius amicabilem arbitrio, sed ad rigorem juris, & adhibitis solemnitatibus forensibus causæ tractarentur, & deciderentur.

25 Sollicita olim fuit Ecclesia, ut singulos fideles, etiam laicos, à forensibus judiciis retraheret, iique suas quæstiones de rebus temporalibus aut ipsis Episcopis, aut sapienti alicui secundum monitum Apostoli decidendas sine forensi strepitu crederent. Unde non mirum, si eo magis Clericos, & Monachos à forensibus judiciis abstinere jusserit, cum hi sint studiosiores rerum temporalium contemptores, eoque exemplo ipsi populo præluceant. Ait S. Augustinus (a): *Si pueri isti servi Dei, utpote Monachi, & Clerici, sunt, litem hanc cito inter illos finimus. Audio illos, ut Pater, & forte melius, quam Pater ipsorum. Video, quid sit juris, sicut Deus voluerit: cum paucis Fratribus fidelibus honoratis, Deo propitio, de numero vestro; id est, de plebe ista, audio inter illos causam; & sicut Dominus donaverit, amicabilem compositione, finio.*

26 Præcipiunt inde veteres Canones, ne Clerici insalutato Episcopo ad lites forenses provocent. Statuit Concilium Carthaginense IV. *Discordantes Clericos Episcopos vel ratione, vel potestate ad concordiam per viam amicabilis compositionis trahat inobedientes Synodus per audientiam damnet.* Refert. c. 1. D. 90.

27 Juxta Decretum Concilii Carthaginensis III. *Quisquis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, vel Clericorum, cum in Ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel civilis causa fuerit commota, si relicto judice ecclesiastico, publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat; & hoc in criminali judicio: in civili vero perdet, quod evicit, si locum suum obtinere voluerit.* Extat. c. 34. XI. q. 1.

28 En Decretum Concilii Chalcedonensis (b)! *Si quis Clericus, inquit, habet, cum Clerico litem, aut negotium, proprium Episcopum non relinquat, & ad secularia judicia, insalutato Episcopo, ne excurrat: sed causam prius apud proprium Episcopum agat; vel de Episcopi sententia apud eos,*

(a) S. Aug. de divers. serm. 49. (b) Nov. 79. c. 1.

eos, quos utraque pars, veluti arbitros elegerit, iudicium agitur. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis pœnis subiciatur. Refert. c. 46. integ. lect. ibi.

29 Justinianus privilegium, quod alibi Monachis, & Monialibus indulsit, ad Clericos extendit, ut, si quis habeat adversus eos pecuniariam causam, prius ad Deo amabilem Episcopum pergat, sub quo constitutus est, & interpelles eum, & ex non scripto mereatur iudicium: & si hoc fiat, ne inquietet eum, nec ad auditoria civilia trahat &c. Et infra: Quod si propter causæ naturam, aut propter quamdam difficultatem forte non fuerit possibili Deo amabili Episcopo decidere negotium, tunc licentiam esse, & ad civiles Judices pergere, & privilegiis omnibus custoditis, quæ reverendissimis Clericis sacræ præstant constitutiones, & litigare, & examinationem fieri, & terminum imponi volumus. Velociter quoque decidi lites Clericorum præcipit Imperator, rationem subjungens: Ut non propter hujusmodi causam sacris amoveantur obsequiis, & cum oporteat Deum placari, & decencia Sacerdotibus agi, auditoriis detineantur, & illis turbis, atque inbærente tumultu litigantium animabus. Nov. 83. Præf. & §. 1.

30 Inferius Imperator illud moderamen subjicit: Ut, si Episcopus sententiam tulerit, & alter litigantium intra decem dies contradicat iis, quæ judicata sunt, tunc locorum iudex causam examinet, & si invenerit iudicium recte factum, etiam per sententiam propriam hoc confirmet, & executioni propriæ tradat, quæ judicata sunt: & non liceat secundo in tali causa victo appellare. Si vero Judicis sententia contraria fuerit iis, quæ à Deo amabili Episcopo judicata sunt, tunc locum habere appellationem contra sententiam iudicis, & hanc secundum legum ordinem referri, & exerceri. En alium casum! Si tamen ex imperiali jussione, aut judiciali præcepto, Episcopus iudicat inter quascunque personas, appellatio ad Imperium, aut ad eum, qui transmissit negotium, referatur. Refert. Nov. 123. c. 21.

Cap. 5.
De Privil.
for.

31 Synodus Agathensis ad exemplum veterum Canonum decrevit, ne Clericus quemquam præsumat apud sæcularem iudicem, Episcopo non permittente, pulsare. Quippe à perfectione status Clericalis satis alienum videbatur, quod Clerici mox ad sæculares iudices, præterita via compositionis, suas causas deferrent. c. 1. & 2. XIV. q. 1.

32 Gratianus inversam lectionem reddidit. Clericum, inquit, nullus præsumat apud sæcularem iudicem, Episcopo non permittente, pulsare. Hac lectione Gratianus Clerico, in quantum convenitur, tribuit, quod Concilium Agatense de

de Clerico actore statuit. c. 17. XI. q. 1. & Corr. Rom. ibi. Hi tamen Correctores simul sibi notant, in eodem quoque Concilio actum de laicis, qui Ecclesiam, vel Clerum vexant. Refert Gratianus & hunc illius Synodi Canonem: Siquis vero sæcularium per calumniam Ecclesiam, aut Clericum fatigare tentaverit, & convictus fuerit, ab Ecclesiæ limitibus & à Catholicorum communione, nisi digne pœnituerit, coercetur. c. fin. V. q. 6.

33 Labentibus sæculis miro zelo hoc privilegium Clericorum, ne à laicis ad Judices sæculares trahi possent, urserunt Pontifices, & Episcopi, uti vel ex Decretis eorum, Decretalibus Gregori IX. insertis cognosci potest. Nicolaus I. statuit (a), laicis nullum jus esse, Clericos dijudicandi. c. 1. & seq. ibi.

34 S. Gregorius VII. ait: Quis dubitet Sacerdotes Christi, Regum, & Principum, omniumque fidelium Patres, & Magistros censerit! Nonne miserabilis insanie esse cognoscitur, si Filius Patrem, discipulus Magistrum conetur subjugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subicere, à quo credit, non solum in terra, sed etiam in cælis ad impetrandam remissionem peccatorum, se ligari posse, & solvi? Refert. c. 9. D. 96.

35 Ex antiquis his Decretis sat luculenter elucescit privilegium fori ecclesiastici, quod Clericos, si convenirentur, ab omni tribunali civili exemit. Juxta Decretum Concilii Parisiensis, quod jactatur, nullus iudicium, neque Præsbyterum, neque Diaconum, neque Clericum ullum, aut Minores Ecclesiæ, sine permissu Pontificis, distringere, aut condemnare, quocunque modo præsumat. Legit. c. 2. de For. Comp.

36 Hoc exemplo Innocentius III. laicis interdixit sub pena excommunicationis, ne quemcunque Clericum ad sua tribunalia cogerent, etiamsi consensisset, quia privilegio-fori, quod toti ordini concessum est, nemo renuntiare potest. c. 12. ibi.

37 Enimvero novum Jus proprium forum justitiæ in ejusmodi generis causis tribunali ecclesiastico vindicat. Inde invaluit, quod passim iudices civiles omnis jurisdictionis in his causis, quæ vel bona, vel personas Ecclesiarum spectant, inhabiles declarentur. c. 7. de Præscript.

38 Fridericus II. Imp. quoque privilegium fori Ecclesiastici confirmaverat. Statuimus, inquit, ut nullus ecclesiasticam personam in criminali quæstione, vel civili trahere ad ju-

(a) S. Nicol. ad Bulgar. c. 20.

dicium sæculare præsumat. Refert. Auth. Statuimus C. de Episc. & Cler.

39 Extendebatur privilegium non modo ad Clericos quosque, sed etiam ad eorum familiares. Inde evenit, quod Episcopi passim ordinarent Clericos absque selectu, & sæpe ducti motivo maxime ampliandæ suæ jurisdictionis. Plures Clerici erant nonnisi tonsurati, aut Minoristæ ipsimet conjugati, & infimi conditionis homines. Nam fere quisque Clericus fieri ambiit, ut jurisdictionem civilem, privilegio fori fretus, effugeret, tum in causis civilibus, tum & præprimis in criminalibus. Nonnullis his abusibus mederi videbantur recentiores Decretales.

40 Pronuntiat Alaxander III., Clerico Actori non suffragari privilegium fori, si laicum conveniat, quia actor forum rei sequi debeat: licet in plerisque partibus aliter de consuetudine habeatur. *c. 5. de For. Compet.*

41 Causæ feudales relinquuntur jurisdictioni domini directi. Hinc & Clericus, sive ut actor, sive, ut Reus, in iis causis illius judicio stare debet, ut per dominum feudi causa terminetur. *c. 6. & 7. ibi.*

Cap. 6.
De Us.
hod.

42 Hac occasione, quod recentiores decretales nonnullas causas exceperint, alias præterierint, sensim actus est numerus earum causarum, in quibus civilia tribunalia Clerici, si conveniantur, subire debent. Postquam enim sensim causas civiles laicorum, exclusis Judicibus ecclesiasticis, recuperarunt sæcularia tribunalia, inde & ad causas civiles Clericorum processum fuit, ut in Gallia, & alibi de exemptione Clericorum à jurisdictione laicali, quoad eas causas mere civiles, fere nihil supersit. Sic accidit, quod ipsi Clerici coram laicis tribunalibus in causis civilibus non tantum à laicis citari cœperint, sed & ultro hæc tribunalia expetere, & suos creditores etiam Clericos convenire, utut inconsulto Episcopo, maluerint, promptiorem justitiam suæ causæ obtenturi.

43 In Galia ann. 1330. sub Philippo Valesio solemnis illa disputatio inter Petrum Cugnerium nomine Baronum, & Ludovicum Bertrandum nomine Prælatorum exarsit, ut utriusque jurisdictionis fines explorarentur. In ea contentione Bertrandus inficiari noluit, actiones reales Clericorum de jure scripto ad civiles Judices spectare, nisi consuetudo Ecclesiæ adverteretur.

44 Successit usus, qui causas reales judici laico penitus detulit, ut nulla earum cognitio Judici ecclesiastico, qui harum actionum non tantum incompetens, sed & inhabilis censetur, relinquatur, quia hæc causa rem potius, quam personam respicit.

ju-

45 Bertrandus tunc obtendit, quod in actione mixta, aut super interdicto, quod in parte personale est, Clericus à foro sæculari excusetur. Hodie vero contrarium plane principium passim invaluit; nimirum, bona temporalia esse omnino de jurisdictione sæculari, ipsosque Judices ecclesiasticos esse incapaces cognoscendi, aut statuendi de realitate bonorum; adeo, ut abstinere debeant ab omni causa, cui realitas quædam sit admixta.

46 Quid de causis annuarum præstationum? Distinguunt, quando medium concludendi est reale; ut, quia petitur ratione prædiorum censualium, causa censeatur esse fori civilis, quia tunc magis prædia conveniri videntur, quam Possessores prædiorum: si autem medium concludendi sit personale, ut, quia arreragia, seu redditus annui petuntur extipulatione, vel alia obligatione personali, Clericus coram Judice ecclesiastico conveniri debeat.

47 Si contractus initus sit coram Notario Regio, hodie Clericus de eo coram Judice Regio convenitur. Quippe, dum contractus coram Notariis Regiis celebratur, solet adscribi clausula, quod contrahentes pro implemento dictarum obligationum voluntarie se subjiciant jurisdictioni civili. Quod enim novo jure obtenditur, Clericos non posse renuntiare privilegio fori, id quoad causas civiles in desuetudinem abiit, aut ad criminales causas rejicitur; cum in his ultimis tantum causis deducus inferatur clericali Ordini, in cujus gratiam privilegium indultum est. *Arg. c. 12. de For. Compet.*

48 Hodie & ipsa quæstio: an Clericus sit remittendus ad Judicem ecclesiasticum: spectat ad Judicem Regium, quia, ut ajunt, in ea causa intervenit quæstio facti, quam civilis Judex sibi vindicat, non obstante contraria decisione novi juris, quam usus abolevit, licet supersit. *cap. 12. de Sent. Excommun. in 6.*

49 Si Clericus in alia qualitate, quam Clerici convenitur, hodie se sistere debet coram Judice laico, quia ex eo negotio spectatur ut alius laicus; v. g. ut Tutor, Curator, ut Administrator, ut Depositarius &c.

50 Hac ratione & Clericus, quantum ad causam evictionis, recusare non potest forum sæculare, quia in hoc casu Clericus cen-etur veluti Actor, aut Procurator emptoris laici. *L. 49. ff. de Judic.*

51 An Clericus, qua hæres laici, declinare potest forum laici, cui defunctus suberat? Quum hæres cum defuncto una, eademque persona, quantum ad causam hæreditatis, spectatur, ex persona hæredis forum haud mutatur.

Ep. Van-Espen. T. II.

Ll

De-

52 Denique receptum est, Clericum in causa reconventionis adversus judicem, coram quo alium convenit, non posse excipere, quia plenum æquitatis est, & contra se experiri judicem, quem quis pro se elegerit. c. 1. §. 2. III. q. 8.

53 Ex his, aliisque, quæ ex praxi hodierna Pragmatici observant, apparet, privilegium fori ecclesiastici, quantum ad causas profanas Clericorum, valde decrevisse, ut rarissimi sint casus, quibus Clerici iudicium sæculare in eo genere causarum efficaciter declinare queant; præsertim, quia & Judices Regii sibi solis auctoritatem arrogant iudicandi, an causa ad iudicem ecclesiasticum remittenda sit, vel non? Persuasere tantam restrictionem ambages fori ecclesiastici, quibus processus forensis jure Decretalium redundat.

54 Id privilegium Prælati, & Capitulis, quia dignitate effulgent, reliquum est, quod in eo genere causarum non alium iudicem, quam ipsum Principem, aut supremum ejus Senatam agnoscere teneantur, ut vel hoc moderamine eorum statui consultum sit. Hoc tamen privilegium Abbatum, & Prælatorum intelligendum est de actionibus mere civilibus, sive profanis, non autem sacris, & ad spirituale regimen spectantibus.

55 Cæterum licet notoria praxis evincat, nec diffiteri possumus, Clericos moderno usu in causis mere civilibus conveniri posse: ratio tamen Canonum vetantium. Clericos in forensi iudicio litigare, immota permanet, licet externa disciplina in ipsis expressa suum amiserit vigorem. Dicti enim Canones tantum intendunt, litibus, & forensibus jurgiis illos eximere, eosque inducere, quin & adstringere, ut quæstiones suas potius Episcopo, aut aliis viris prudentibus, & intelligentibus amicabiliter sine strepitu forensi decidendas committerent, dicente quotidie cum Ecclesia: *Extingue flammam litium.*

56 Sacris eloquiis, sanctorumque Patrum affatis jubemur, nos Magistratibus sive ecclesiasticis, sive civilibus humiliter submittere. S. Petrus ait (a): *Subiectis igitur estote omni humane creature propter Deum, sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus, & iudicibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum: laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei.* Ex sententia S. Pauli: (b) *Omnis anima potestatibus sublimioribus, sive ecclesiastici, sive civilis imperii subdita sit; non est enim potestas, nisi à Deo — Dei enim Minister est.* En S. Chrysostomi expositionem (c): *Potestatibus, inquit, ex debito obedire jubet Apostolus, ostendens, quod ista imperentur omnibus, & Sacerdotibus, & Monachis, non solum secularibus. Id, quod*

(a) 1. Petr. 2. v. 13. (b) Rom. 13. (c) S. Chrys. hom. 23. in ep. Rom.

statim in ipso exordio declarat, cum dicit: omnis anima potestatibus sublimioribus sive ecclesiastici, sive civilis imperii subdita sit, etiamsi Apostolus sis, si Evangelista, si Propheta, sive quisquis tandem fueris; non enim pietatem evertit ista subiectio. Juxta S. Gregorium Naz. (a) Subiecti sumus tum Deo, tum invicem aliis aliis, qui cum imperio nobis in terra in ordine ad causas ecclesiasticas vel profanas præsumunt, Magistratibus propter ordinis à Deo instituti conservationem. Etiam hæc in legum nostrarum numero est, ut quemadmodum hæris servi, uxores maritis, Ecclesia Domino, discipuli Pastoribus ac Doctoribus obtemperant: ita nos (Clerici, & Monachi) etiam cunctis potestatibus supereminentibus subiecti simus, non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

T I T. II.

De Causis Ecclesiasticis.

C A P U T I.

De Exemplis Novi Juris.

Veteri iudicio finium regundorum Osius Cordubensis (b) inter utramque potestatem has rationes subduxit: *Tibi Imperator, inquit, Deus imperium commisit nobis, utpote Episcopis, quæ sunt Ecclesiæ, concedidit. Et, quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita, & tu, etsi Imperator, cave, ne, quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et, quæ sunt Dei, Deo. Neque igitur fas est nobis, in terris imperium tenere; neque tu thymiamatum, & Sacrorum potestatem habes Imperator.*

2 Novo jure, quod jurisdictionem Ecclesiæ foro justitiæ exornavit, recepta est distinctio, qua causas mere ecclesiasticas discernere placuit à causis mixtis, quæ quidem per se profanæ sunt, sed ratione vel personarum, vel negotiorum, vel rerum de jure, aut de antiqua consuetudine ad forum ecclesiasticum revocantur. c. 4. de Immunit. Eccl. in 6.

3 Causæ mere ecclesiasticæ reputantur, quæ per se spirituales sunt, ita ut ex natura sua nihil temporalis negotii

Ll 2

ad-

(a) S. Greg. Naz. orat. ad Præsid. (b) Osius ep. ad Constant. Imp.